

E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74
1592-1744

36

JO. AVG. ERNESTI
ORATIO
LIPSIAE
A. D. IX APRIL. A. CIO IOCC XXXXII
PROFESSIONIS
HUMANIORVM LITERARVM
EXTRAORDINARIAE
ADEVNDAE CAVSSA
RECITATA



LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

I. A. E. ERNSTI
O I T A Y O
LIPSIAE
M D XIX MARTH. A. C. MDCXXXVII
PROFESSIONIS
HUMANORVM LITTERARVM
EXTRAORDINARIAE
ADVENTUS CASSA
PROFESSORUM



LIPSIAE
EX OFFICINA IMPRENTARUM



RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICE

VIRI DIVINAE HVMANAEQVE
SAPIENTIAE CONSULTISSIMI
COMMILITONES HUMANISSIMI

COMMILITONES HUMANISSIMI

Et haec nobis a maioribus tradita,
et doctissimo cuique usurpata con-
suetudo, ut qui, PRINCIPIS be-
neficio, publice in hac Vniuersitate
literaria docendi potestatem sunt
consecuti, adeundi muneris causa,
orationem ex hoc loco habeant eam, qua-
non solum gratos se pro beneficio probent,

A 2 fed

IV

sed etiam initia Professorii muneris, disputa-
tione aliqua ex interioribus literis depromen-
da, commendent. Ac profecto non is ego
sum, qui morem hunc institutumque maio-
rum reprehendendum putem: quo colendo,
effici arbitror posse, ut, eodem tempore, et
gtatus et doctus reperiare. Sed me non so-
lum verecundia quaedam ab hoc consilio auo-
cat, et is, quem mea mihi natura attribuit,
pudor, alienus ille fortasse ab hoc tempore,
sed iustus tamen, et Vestrae, PATRES, eru-
ditioni debitus: verum etiam retinet atque
impedit honoris mihi habiti, beneficiique tri-
buti gratia: qua plenus iam ac redundans ani-
mus, nullius praeterea rei cogitationi, neque
locum relinquit, neque aditum omnino con-
cedit. Quare date mihi hanc veniam, AV-
DITORES, ut mihi liceat, omnem, ex hac
oratione, subtiliorem disputationem circum-
scribere ac tollere: quam et Vesta, PATRES,
eruditio superuacuam facit, et Vos, HVMA-
NISSIMI COMMILITONES, hoc
tempore non magnopere desideratis, sed ad
eas potius differri vultis horas, quibus ad eius-
modi disputationes audiendas conueniri so-
let. Concedat iam differendi subtilitas pietati.
Non tam doctus Vobis videri cupio, quam
gratus: neque ullus esse locus ostendandae do-
ctrinae

V

Etrinae potest, ubi pietas omnia occupauit. Nam, quid ego aliunde materiam dicendi petam? cum eam ita copiosam mihi suppeditet ipsa, quae me ad dicendum impulit, causa, ut ea vix longissima oratione consumi posse videatur? Quod si quid forte de me dicam, quamquam hoc modice ac parcissime fiet, rogo vos, AVDITORES, ne id arrogantiae potius vanitati, a qua longissime meus me remouet pudor, condonatum, quam officii necessitati concessum putetis. Nam, cum is demum vere gratus dici haberique possit, qui omnem beneficium vim ac magnitudinem et animo et oratione amplectitur: quomodo satis gratus potero videri, si, in quo beneficium, haud scio an maxima, pars est positiva, et, quod mihi in eo proprium est ac principium, id, arrogantiae suspicionem fugiendo, tacitus praeterire velim?

Ita per se iucundum et est, et habetur, alios docere, ut, quo quis se doctiorem ceteris putet, eo magis gaudeat, vel honoris causa, alios voce literisque erudire, et cum iis aliquid de suo communicare. Neque hoc fit vanitate quadam et leuitate animi, ut maligni quidam naturae interpretes iudicarunt, quod, qui alios doceat, hoc ipso, plus iis scire ac sapere videatur, quam ipsius naturae quo-

VI

dam instinctu salutari. Videmus enim hoc in infantibus, in quibus, tanquam in speculis, vera et nulla dum vanitate fucata naturae species et imago cernitur, cum fabulam aliquam, vel quamcunque rem sibi inauditam antea inuisitatamue didicerunt, audiuerunt, viderunt, quomodo aliquem anquirant, cui narrare possint: quomodo angantur tacere iussi: deinde, ubi sapientiam suam apud aliquem effudere, ut sibi veluti respirasse, et onere quodam leuati videantur. Atque hoc natura, quae omnes actiones ad vitam bene tuendam maxime necessarias suavitate quadam commendauit, sapienti quodam consilio sic est in homine machinata: ut, quoniam plurimae maximaue humanitatis partes disciplina continentur, eo plures essent, qui hac docendi dulcedine deliniti et capti, eum laborem, quem forte necessario suscepissent, etiam libenter fusciperent, eumque sibi imponi adeo gauderent. Sed, ut est ad suavitatem fructuosum, docere, ita ad laudem honorificum habetur: non imperitorum et vulgi opinione, sed rationis iudicio integre incorrupteque iudicantis. Est enim hoc a natura sic constitutum, ut omnis laus honosque, inter homines, ingenio, sapientiae virtutique pareret. In quam possessionem etsi inuadunt, et iustos domi-
nos

nos ex ea, per imperitorum factionem, saepe
deiciunt diuitiae, genus, honores: tamen et
rationis lege aeternam illi auctoritatem ob-
tinent, et iustis posteritatis vindiciis in legi-
timam possessionem restituuntur. Nonne vi-
detis, eos viros, quorum a nobis ingenium,
sapientia, virtusque literarum monumentis
prodita, spectatur, ut admiramur, ut ama-
mus, nihil querentes, quam diuites illi fue-
rint, quam nobiles, quam honorati? Iacent
diuites Craffi, nobiles Antonii, purpurati Ru-
fini: in coelo sunt Homeri et Platones, Cice-
rones et Virgilii, Aristides et Cato. Est enim
hoc insitum in animis, penitusque infixum
in sensibus nostris, ut omnis laus et honos
penes ingenium virtutemque sit, neque ad
eius communionem fortuna admittatur.
Quare, quomodo potest non honorificum,
nisi videri, tamen esse, si quis hoc est con-
secutus ingenio, studio, diligentia et exercita-
tione, ut alios bonis artibus erudire, eorum-
que ingenia fingere possit, et existimetur pos-
se. Etsi enim praecclare scio, inter militares
aulicosque imprimis homines multos et olim
fuisse, et cum maxime esse, quibus totum hoc
docere obscurum et parum honorificum vi-
deatur: tamen idem etiam illud, et ratione
intelligo, et auctoritate summorum homi-
num,

VIII

num, multumque in republ. versatorum impulsus credo, in ea opinione plus leuitatem aliquam et errorem popularem, quam grauitatem et rectum iudicium valere. Nam, cum nihil vile esse et contemtibile possit, quod cum utilitate publica sit coniunctum, qua vel sola rerum humanarum praestantiam metimur, quae vel sola actionibus nostris premium facit: quo tandem iure hic docendi labor poterit contemni, quo nihil ad utilitatem publicam neque maius esse, neque uberiorius potest? Itaque Cicero, cum, post bellum Ciuale, et literis, et voce, philosophiae eloquentiaeque praecepta traderet, etsi ridebatur a nobilibus hominibus, qui hoc docendi studium obscurum neque dignum eius persona putabant: tamen, ea re nullum se maius reipublicae munus praestare posse, iudicabat. Quare, qui possum non, in egregii beneficij loco, impositum mihi docendi munus habere, quod nobis et suavitate quadam natura commendauit, et utilitas publica honorificum fecit: praesertim in hac Academia, quae ex omnibus, per omnem Germaniam, Scholis, et celebritate frequentissima, et literis affluentissima, et fama nobilissima, humanitate denique cultissima censetur. In felicitatis parte ponitur, in hac urbe tolerabili condi-

IX

conditione posse viuere , in primis inter eruditos : quod nulla alia urbs ita omni eruditio-
nis supellectili et instrumentis abundat .
Et ego mihi non ducam honori , quod in
huius urbis celeberrima Academia publice
docere iussus sum , in qua etiam honorificum
putatur , priuatim bonas literas do-
centem audiri , et doctis hominibus pro-
bari ? Quid ? quale illud esse de me iudi-
cium dicam , quod humaniorum literarum
publicus magister sum constitutus ? quod
omnium earum artium , quarum maxima vis
ad ingenium humanum conformandum pu-
tatur , disciplina mihi est commissa ? Equi-
dem docto homini , qui dignum se praesta-
re liberali doctrina velit , longissime ratio-
nes suas ab eorum vanitate et arrogantia se-
iungendas semper iudicauit , et , ut meae se-
iunctae essent , laborauit , qui , ad quamcumque
doctrinae partem eos , siue naturae qui-
dam impetus conuertit , siue consilium iu-
diciumque deduxit , siue casus denique de-
tulit , eam tanquam pulchellam filiolam ex-
osculantur , eam unice extollunt , eam vel
solam sapientiam esse , et credunt , et iactant .
Semper hoc ego et mihi met ipsi et aliis
voce literisque suasi , vt illam eruditam po-

B

pulari-

X

pularitatem amplexarentur, quam Cicero
in Attico, elegantissimo homine, amabat,
qui nullius disciplinae, quamvis tenuem,
praeceptionem contemnebat. Est aliquis,
sive suo, sive aliorum iudicio, egregius
Philosophus? Per me, doctus homo, et
laude dignissimus esse poterit. Ipse ego,
nominis huius pulchritudine a pueritia ca-
ptus, ut philosophiam non ignorarem,
laborau: etiamsi illam summam subtili-
tatem, quam quidam delicati homines
barbariem et garrulitatem, male fortasse,
vocant, nunquam assequi potui. Sit
ergo doctus ille et honoratus: modo ne
Theologos et ceterarum magnarum artium
magistros, contemnat, et rationis expertes
iudicet, qui suam disciplinam, ad hanc no-
uam et formulariam philosophandi subtilita-
tem, conformare nolunt: modo ne literato-
res et Criticos, fungos esse stipitesque pu-
tet, et omnibus modis ad contemnum ad-
ducere studeat. Est aliquis, qui vernaculae
linguae disciplinam percepit, in eaque ma-
iore ceteris facultatem est consecutus?
honestus, per me, et laudatus erit. Quo-
modo enim eius rei facultas iure poterit
contemni, quam et usus necessariam facit
et

et ipse patriae amor commendat? modo
ne graecas latinasque literas nimis p[re]a ver-
nacula lingua contemnat, iisque tractandis
ita corrumpi ingenia delerique dicat, vt,
quo quis magis earum scientia excelluerit, eo
minus, vel de syllogismo, iudicare potuisse
criminetur. Omnium artium ac disciplina-
rum quaedam est inter se coniunctio, et al-
tera alterius auxilio indiget. Omnibus
suum est pretium, sua dignitas, suis honos.
Ament ergo se inuicem artes et colant, mu-
tuoque amore nihil sibi honestius esse pu-
tent. Procul habeant odium, inuidiam,
obtrectationem, easque non minus sibi,
quam fratribus sororibusque, turpes esse ar-
bitrentur. Sed idein ille ego, qui omnium
artium ac disciplinarum magnus semper et
fautor et admirator fui, tamen illud, et
usu sensuque edoctus scio, et, pace, opinor,
Vestra, affirmo, eius disciplinae, quae hu-
manitatis nomine praedicatur, quamque
profitentur hi, qui Grammatici Critique
appellantur, eius, inquam, disciplinae esse,
non praecipuam aliquam dignitatem, sed
praecipuam quandam difficultatem. Nam,
cum ea sit omnium veterum scriptorum in-
terpres ac iudex: cum eius sit, sensus ob-
scuros

XII

scuros aperire , corrupta emendare, a spuriis genuina discernere , quid recte, acute, magnifice, suauiter dictum , secusue, sit, iudicare : id autem, sine scientia et verborum et rerum , fieri non possit: quis non inteligit , verum esse , quod Sextus , Philosphus , iudicauit : eum, qui huius disciplinae vim perceptam habere velit , non modo verborum prope infinitam vim et copiam tenere , sed etiam , nullius prope liberalis artis rudem esse oportere. Itaque , si quis, in hoc genere doctrinae , ad laudem , vel mediocrem, adspirat, is, ut nihil de ingenio dicam , studium certe diligentiamque tantam in ea debet consumere , ut sibi, non solum honestas voluptates , sed etiam praeemodium necessitates , debeat negare. Haec tanta difficultas facit, ut, his in primis temporibus , quae tantopere ad mollitiem, et remissius viuendi genus incubuere, ita, uti coruos albos , adspiciamus homines , paulo longius in hac humanitatis disciplina prouectos. Itaque, si quis putatur is esse, cui literarum humaniorum docendarum munus recte committi possit , ei , si nihil aliud, diligentiae tamen permagnae testimonium tributum videtur. Quare, cum hoc de

XIII

de me iudicium factum sit , ut mihi publi-
ca humanitatis disciplina mandaretur: siue,
quod is sum , qui hoc munus recte sustine-
re possum, siue, quod ita tantum existima-
tum est , magnum sane qualisunque studii
mei capio , et periucundum fructum. Et,
cum mihi siaue esse , et honorificum vide-
ri tale de me iudicium deberet , si quem-
cunque haberet non plane contemnendum,
auctorem: quale mihi tandem , quamque
amplum debet videri , cum auctorem ha-
beat AVG VST V M REGE M ? quam
gloriosum , cum sapientissimum et bonarum
literarum amantissimum PRINCIP E M ?
quam amabile denique , cum OPTIM V M
PATRIA E PATREM ? Quid? quale illud
existimare debeo, quod in hanc de me senten-
tiā , suffragationibus Summorū Virorum
est adductus: qui ea sapientia prudentiaque
sunt , ut de dignitatibus hominum acutissi-
me possint iudicare , eo autem in bonas
literas, et hanc Vniuersitatem literariam ani-
mo , ut cuiusque disciplinae tradendae mu-
nus in loco cupiant ponī. Est haec quo-
que de plurimis maximisque Saxonicae Do-
mus laudibus , quod ea , inde ab instaura-
tarum bonarum literarum tempore , tam

XIV

enixe , his in primis , humanioribus literis ,
fauit , ut hoc tanto Eius fauore in uitatae
Musae in his terris sedem suam libentissimis
animis fixerint . Quis nescit , quid Geor-
gius , Barbatus ille , pro his literis fecerit ?
quid Mauritius ? quid ceteri deinceps Prin-
cipes ? Hic Ipse AVGSTVS noster ,
quantum , inde a prima aetate , his literis
tribuit ? qui etiam tum , cum in Italia pere-
grinaretur , iis , qui in hoc genere excel-
lebant , nominatimque Aueranio , elegan-
tissimo homini , non raro hoc honoris ha-
buit , ut ad eos audiendos veniret . Qua-
re , cum , in beneficiis ponderandis , mo-
mentum haud paruum faciat , si , quod no-
bis tributum est , ei carum esse constat , qui
tribuit : haec sane cogitatio , quod eas li-
teras , in quibus docendis opera mea versä-
bitur , beneficij Auctori Ipsi caras et iucun-
das esse scio , tantum , apud me , beneficij
gratiam auget , ut vere hoc possim dicere ,
nullum alium usquam esse Principem , a
quo aequi libenter hoc munere velim or-
nari . Sed haec omnia , quantamcumque ,
ad augendam beneficij gratiam , vim ha-
beant , quae habent profecto permagnam ,
tamen multis communia reperiatis . Illud
autem

autem mihi proprium est, quod ita creatus sum, vt, multis abhinc annis, mei ordinis nemo. Nam, cum hoc, et lege esset sancitum, et alio praeterea modo videretur cautum, ne, qui in Schola Senatoria literas doceret, idem simul posset publicas in Academia scholas habere, isque adeo, quem hodie adii, locus omni modo septus mei ordinis hominibus et obuallatus videretur: tamen, aditum ad hunc locum mihi aperire, gratia legis facta, placuit, et exemplum prodere in posterum, ne cuiusquam diligentia, desperatione huius loci simul obtainendi, retardaretur: ut mihi videantur ista propterea sic fuisse constituta, ut si cui aliquid praecipui tribueretur, beneficium eo maiorem gratiam haberet, et eo acrius animo, ad laudis studium, calcar admoueret.

Quem ergo mihi esse animum, in hoc tanto beneficio, quantamque mihi curam et sollicititudinem putatis esse iniectam, quomodo tantum tam insignis de me iudicij beneficiique onus sustinere, atque efficere possim, ut ei satis videar respondere? Eius autem rei haec una mihi relicta ratio videatur,

XVI

tur, si, quantum ingenio, studio, diligentia-
que potero consequi, effecero, ut eae artes,
quibus haec humanitatis disciplina contine-
tur, Vobis, HUMANISSIMI COMMI-
LITONES, per me, fiant notiores, sique
Vos in iustam earum consuetudinem addu-
xero. Cuius rei studio cum antea, sua
sponte, animus flagrabit, nunc profecto,
his nouis alimentis subiectis, multo est in-
flammatus magis. Itaque id diligenter a
me, publicis priuatisque scholis, agetur.
Hoc tempore satis habebo, si, quemadmo-
dum veteres Romani, in publicarum pri-
uatarumque rerum initiis, aliquid, auspi-
candi causa, ut loquebantur, agebant, quod
ad eas res pertinere videretur, ita nunc
ego, boni ominis causa, aliquam muneris
mei partem decerpam atque delibem, hoc
est, si, quod unum oratione effici videtur
posse, aliquam Vobis cupiditatem moueam,
huius humanioris disciplinae percipiendae.
Quod dum facere instituo, non vereor
profecto, ne milii eueniat id, quod his so-
let, qui, nuptias falsis laudibus conciliando,
malam ab utraque parte ineunt gratiam.
Neque Vos ii estis, HUMANISSIMI
COMMILTONES, quorum connu-
biuum,

XVII

bium istae nostrae artes aspernentur: neque artes nostrae sunt eae, quibuscum, si semel apud eas habitare cooperitis, non, per omnem vitam, suauiter vivere possitis. Atque utinam, quas illecebras illae, quae incantamenta et quasi beneficia habent, ea, oratione mea, omnia complecti possem! Efficerem profecto, ut nemo Vestrum mihi, nisi earum captus irretitusque amore, hinc discederet. Sed, quoniam ea res non cadit in hanc ingenii mei orationisque tenuitatem, illud unum, atque id ipsum quam paucissimis, agam, ut, quas nonnulli minus rectas de his literis opiniones fortasse suscep- perunt; funditus, si possim, euellam, ne quis iis se, ab earum consuetudine petenda, deterrei patiatur. Saepe enim ad aures meas veniunt eorum sermones, qui ita de his, et in circulis, et in adolescentum conuentibus loquuntur, ut eas in solis verbis, in minutis quaestiu- culis, in syllabis, ac singulis paene literis interpunctionibusque verborum, in erroribus denique veterum librariorum, versari, ac nihil omnino ad vitam humanam, ad rempublicam, pace belloque, administrandam, ad maiores denique disciplinas prodesse dicant, et, quantum

C

in

XVIII

in ipsis est, in summum contemnum adducant. Atque ego saepe a doctis hominibus audiui, huiusmodi sermones his causis commoueri: si quis, propter earum literarum ignorantiam, turpiter se dedisset: si eos, qui in his literis aliquid possunt, sibi non adeo multum tribuere suspicetur: aut ab iis vel reprehensus esset, vel, ne reprehendatur, timeat, et propterea e re sua putet, se superbia munire et contemtu armare. Sed horum nihil omnium in quemquam confero. Bona fide, et, de vera animi sententia iudicioque, ista disputari, nihilque, nisi ut lenissime dicam, aliquem errorrem undecunque ortum in ea re versari credo. Neque etiam illud negauero, huiusmodi sermonibus, qui non, nostris demum temporibus, nati sunt, quorundam vel inscitiam vel peruerositatem locum fecisse. Scio enim fuisse, eosque ex eorum in primis numero, quorum absurdæ voci cum plebeiae mulierculæ aures fatigandas nollent permittere, inscitiae eorum liberales pueri ingenia delenda tradere cogebantur, qui, verbis nimis persequendis, res ipsas, quarum causa verba discuntur, reliquerunt: qui humaniorum literarum scientiam hanc existimarent esse

XIX

esse, si, quae verba, quae formulae loquendi
bonae notae essent, quae minus, tenerent,
atque ab his se in dicendo scribendoque ab-
stinerent: si de veteribus fabulis, et ritibus
Graecis Romanisque possent differere.
Fateor etiam, quosdam extitisse, qui ad mi-
nutias, quarum, ut in omnibus disciplinis,
ita etiam in hac nostra, satis magna copia
est, ita studium suum contulerunt, quasi in
iis omnis humanitas inesset, iisque captandis
inuestigandisque, res maximas praetermis-
erunt: quos ego si reprehendendos esse riden-
dosque negem, stultus sim. Sed, quae ista
iniquitas est, eorum hominum imprudentia
et ieiunitate ipsam humanitatis disciplinam
metiri, et, qui illis debebatur contemptus, ad
hunc omnes humaniorum literarum magi-
stros, cum sua disciplina, vocare? Quod si
philosophi ii, qui totam vitam in metaphy-
sicas subtilitatibus, in barbaris verbis fingen-
dis crepandisque, et in minutis inutilibus-
que quaestiuculis consumsere, nunquam
hoc potuerunt perficere, ut propterea ipsa
philosophia, non magistra vitae, et esset, et
haberetur: quid est, quare hanc tantam hu-
manitatis disciplina indignitatem experiatur,
ut ineptorum hominum culpam sustinere ipsa

XX

cogatur? Neque enim iis, quos illorum hominum infacia inique constituit, finibus humaniores literae continentur. Maior, credite mihi, hic fundus est. Latius regnat humanitatis disciplina, multoque est, quam illi opinantur, et rerum magnitudine amplior, et utilitate uberior. Nam ea veros illos et puros omnis sapientiae, eloquentiae, poeseos, historiarumque fontes, interpretando aperit, et a corruptelarum sordibus indicando purgat, ac denique omnium rerum pulchrarum gustum quendam, et intelligentiam, affert. Haec docet, quid ii, quos omnis aetas sapientissimos iudicauit, de rebus diuinis et humanis praeceperint: haec res, pace belloque, a summis hominibus, gestas, tradit, et suis quasque locis temporibusque adsignat: haec eloquentiam, rerum humana-
rum pulcherrimam, amplectitur; et rebus obscuris lucem dare, incredibilibusque fidem facere, animis denique hominum dominari dicendo, docet: haec poetarum sua uissimis cantibus, et cum sensu audiendis aures animosque, et recte scienterque imitandis ingenia adfuefacit. Haec qui partia, haec qui inutilia, haec qui contemenda dicit, eum ego sane, non modo iniquissimum iudico,

iudico, sed prope indignum humanitatis nomine puto.

Quod si nulla alia humaniorum literarum vis esset, quam, ut recte, eleganter, et suauiter, de singulis rebus, dicendi facultatem largirentur: tamen eas Vobis, HVMA-NISSIMI COMMILITONES, hoc nomine amplectendas ac diligendas putarem. Nam, quemadmodum verba, quamuis bona, sine bonis sententiis, non sunt probanda: quod, Cicerone auctore, nihil est tam furiosum, quam verborum inanis strepitus, nulla probabili sententia subiecta: ita rerum, quamuis bonarum, scientia, sine elegantia verborum, utilitatem aliquam fortasse potest habere, dignitatem quidem, in homine liberali, et laudem, in erudito homine, nullo modo. Habet hoc natura vniuersa, habent omnes egregiae artes, habent illiberalia opificia, habet totus humanae vitae cultus, ut cum rerum necessitate et utilitate, si non insignis quaedam pulchritudo, honesta tamen species et dignitas coniungatur. Obite animis omnem terram: circumspicite omnes eius partes: omnia animalium, plantarum, fructuum, metallorum, lapidum, conchyliorum denique genera lustrate: nullum

XXII

ita destitutum a natura et abieclum videbitis, ut non conuenientem aliquam speciem ab ea ornatumque acceperit. Nulla est in corpore humano pars, quae non insignem aliquam, vel necessitatem, vel utilitatem, habeat: sed non magis ullam reperietis, quae non aliqua siue dignitate, siue venustate luceat. Necessitas dedit, unde aleremur, vestiremur, et muniremur: quo famem, sitim, frigus, omnemque vim aëris pellere possemus. Ecce, comitem ei se praebuit, et adiunxit venustas, et eas res omnes, vel figurarum colorumque suavitate, vel odoris saporisque dulcedine, vel tactus laeuitate, mirifice commendauit. Illud ipsum gramen, illae ipsae herbae, quas pedibus calcamus, quibus bestiae nutriuntur, tam pulchrum iucundumque adspectum habent, ut ridere nobis videantur. Hanc tantam naturae, in rebus etiam vilissimis exornandis, incredibilem diligentiam, nos, qui summam sapientiam esse didicimus, naturam ducem sequi, in nobilissimis disciplinis non imitandam putabimus? Non videtis, artifices, atque ii, qui illiberalibus opificiis exercendis vitam sustinent, quanto studio pulchritudinem sequantur? Aedes necessitas inuenit: statim

XXIII

statim necessitatem venustas est consecuta.
Horologia describendi temporis vtilitas re-
perit: statim ornatus vtilitati est adiunctus.
Vestes, calcei, et omnes cultus partes, pro-
pter necessitatem primum comparatae sunt:
mox in iis tantum elegantiae pulchritudini-
que tributum est, ut ornatus causa repertae
videantur. Et nos, in liberalissimis arti-
bus, quae, ingenii excolendi ornandique
causa, repertae sunt, munditiem ornatum-
que negligemus? In cibis iis, quibus hoc
mortale corpusculum alitur, parandis appo-
nendisque, munditiei et elegantiae ratio ha-
babitur? et illum ingeniorum animorum-
que pastum, hunc quasi humanitatis cibum,
immundum sordidumque, et esse patiemur,
et sumere sustinebimus? Dicet fortasse ali-
quis: ego vero nudam veritatem malo: per
se satis pulchra est, neque isto adscitio or-
natu indiget. Hoc quoque concedam. Si
bene vestita tibi displicet, nudam habeto.
Modo veritas ita sit nuda, uti in Caesaris
Commentariis, in Ciceronis de officio libris,
spectatur, et non ei etiam sanguis et succus
omnis detrahatur, et caro refecetur, et tota
barbarie sordibus oppleatur.

Sed,

XXVI

Sed, si nihil Vos, isto suo bono, huma-
niores literae mouent; si nihil apud Vos
orationis pulchritudo, nihil suauitas, nihil
munditiae valent: at utilitatis magnitudine,
et ad eas magnificiendas commoueri, et ad
amandas allici debetis. Nam, si recte, quales
sint hae literae, considerabitis, eas, et per se
fructuosissimas, et, ad ceteras artes orna-
das, uberrimas reperietis. Ut enim a sa-
pientia initium faciam, quae rerum diuina-
rum humanarumque scientia recte appellat-
tur: quam, et ad cognoscendum utile, et ad
superbiam, quae, nescio quomodo, philosophis
maxime insidiari creditur, opprimendam
efficax putatis, graecis latinisque philosophis
legendis, discere, non modo, quantum illi in
his rebus viderint, et quam prope nihil nouae
philosophiae reliquum foret, si illi suas res re-
petitum venirent, quas recentiores philosophi,
verbis, tamquam signis rerum surreptarum,
in deterius mutatis, pro suis venditant, sed
etiam, in quot quantosque errores, summis
ingenii, et incredibili studio, homines inci-
derint, et ex eo, quanta sit humani ingenii
imbecillitas, quanta tenebrae sint, videre.
Mihi sane peranguste videntur philosophari,
qui, veluti illa Ennii terrigena, herbigrada,
domi

domiporta, sanguine cassa cochlea, ita in illa suae disciplinae angusta domuncula abditi latent, ita nusquam pedem inde efferunt, ut eam tandem unam in terris domum putent. Quid dicam de historia antiqua, qua nulla est, neque exemplis magnis illustrior, neque causis rerum explicandis solertior, atque, eam ipsam ob causam, nec ad prudentiam, vel pace utillem vel bello, comparandam, fructuosior. Ea enim non ab his est scripta, qui longissime a republica, domi forisque administranda, remoti, in scholarum tenebris consenuerant; sed qui earum, quas prodiderunt, rerum, aut partes magnae ipsi fuerant, aut, multo rerum ciuilium et bellicarum usu, magnam, in utroque genere, prudentiam sibi comparauerant, eamque ob causam, et res ipsas, et rerum causas, consiliorum vitia, hominum peccata, et incommodorum remedia, aliaque eius generis, verissime tradere potuerunt. An vero eam historiam rerum pace belloque gestarum, quam nobis summi Imperatores et belli duces, viri in aulis Regum, et in maximis ciuitatis regendis versati, Thucydides, Xenophon, Polybius, Caesar, Liuius, Sallustius, Tacitus, prodiderunt, non paeferemus huic, quae nobis ex obscuris monachis, e ieunis annalibus, aut mercenariorum, saltem priuatorum

D homi-

XXVI

hominum, commentariolis traditur? Xenophonem non ponebat de manibus Scipio Africanus is, qui Polybium secum habere, et, de maximis, in bello, rebus, consulere solebat: huius ipsius Polybii historia legenda, noetas in castris transigebat Brutus: Thucydidem, qui primus historiae ad usum ciuilem scribendae exemplum proposuit, lexitabat Pompeius: atque, ut e nostris aliquem nomen, Iulium Caesarem in deliciis habebat Eugenius: Tacitum denique omnes, qui aliquid iudicare possunt, prudentiae ciuilis optimum magistrum dicunt. Quin ergo, quorum virtutes, sapientiam, et res gestas admirandas putatis, eorum studia imitamini, o! Vos generosi adolescentes, patriae communis olim vel gubernatores, vel defensores futuri? Conuertere, quaeso, studium vestrum, ad hanc humanitatis disciplinam, quae scriptoribus antiquis intelligendis maxime continetur. Inde artes, vel paci decoras, vel bello, discetis: inde prudentiam ciuilem militaremque haurietis, et sic deinceps, historiam esse usus et experientiae vicariam, intelligetis. Hos viros, si eorum Vos confuetudini dederitis, in aulis principum, hos in castris, vel comites iucundos, vel consiliarios fidos habebitis. Neque enim tum quaeretis, opinor, bellum utrum sit de mundo,

XXVII

mundo, an in mundo optimo? an sint duo
sclopeta perfecte similia? et si sint, quae ratio
sit sufficiens, quare alterum huic militi datum
sit, non illi? granulo pulueris tormentarii
quot millia monadum inesse possint? aut
alia eius generis. Procul ista tunc vobis erunt,
et, nisi sapientiae, utilitatis tamen inanissima
reperientur.

Iam, quid ego Vobis demonstrem, diuinae
sapientiae consecrata pectora, quantum ab his
humanioribus literis vel adiumenti, vel orna-
menti sperare possitis? Non enim ignoratis,
opinor, cum antiquos, tum recentiores Theo-
logos celeberrimos quosque, Clementem Ale-
xandrinum, Origenem, Eusebium, Theodore-
num, Gregorium Nazianzenum, Augustinum,
Hieronymum, Chrysostomum, eosdem in hoc
genere literarum magnos homines extitisse,
et, sine earum tanta scientia, ad illam tantam
gloriam peruenturos non fuisse. An vero
non audistis, quantam Christianis iniuriam
fieri, quantam pestem parari, crediderint san-
ctissimi Patres, cum Julianus Imperator cauisset
lege, ne Christianae iuuentuti liceret, scripto-
rum eorum, ex quibus hae literae discuntur, In-
terpretes audire, aut illos omnino legere? Quid
tandem erat, quare tam aegre hoc edictum
ferrent, si graecarum latinarumque literarum

XXVIII

studium, non modo nihil religioni prodeft,
sed etiam, ut quidam infesti bonis literis ho-
mines criminantur, pietatem extinguit? Non
laetari potius et gratias agere Iuliano debe-
bant, qui sibi rei, non modo inutilis, sed etiam
noxae copiam ademisset? Sed melius illi,
quid his literis ad religionem inefset boni, in-
telligebant, cum iis abundarent ipsis, easque
utilitatis, usu sibi cognitae, magnitudine me-
tirentur. Vitembergae cum aliquis extitisset,
qui has literas in contemnum adducere velle,
et, praefilosophia hac noua, nimis conte-
mnere videretur, memini, Praeceptorem
meum Vernsdorffum, acutum et perelegan-
tem Theologum, cum in scholis, tum in tem-
plo, eam sententiam grauiter reprehendere,
et erudite demonstrare, quantum his literis
religio debeat: cum, hoc satis, diceret, con-
stare, dominationis superstitionisque Roma-
nae infringendae deiiciendaeque primos au-
tores Grammaticos et Criticos fuisse: et,
ii si non, barbaria philosophica ad contem-
num adducenda, et literis graecis latinisque
reducendis, Lutheri conatibus prolusissent,
eum ad effectum suscepisti operis venturum vix
fuisse: Itaque verendum esse, ne, si omnia phi-
losophiae, in primis barbarae, et ab elegantio-
rum literarum studio seiunctae, tribuere inci-
peremus,

XXIX

peremus, literis graecis et latinis nihil, paullatim
sub illud iugum et ad illas tenebras reuocare-
mur, cum ab iisdem initii illam superiorum se-
culorum perniciem et religionis pestem esse
profectam sciremus. Cui loco, quantum in Vo-
bis est, o! carissima pectora, cauete. Credite,
eos, qui iam maxime Vobis, atque uniuersae Ec-
clesiae nostrae timendi sunt aduersarii, illam for-
mulariam philosophandi subtilitatem minime
timere: amplexantur potius, laudant, eius au-
toribus fauent, eorum libros legunt, et legi cu-
piunt. Lutheros timent, Melanchthonas, Che-
mnitios, Casaubonos, Dallaeos, Cyprianos, ver-
bo, omnes hos, qui copias suas, aduersus eos, e
graecis latinisque literis, ex historiarum antiquis
monumentis comparant. Huc, huc ergo, ad hos
fontes cursum flectite: ex his salubres liquores
ducite: ex his ingenia et pectora irrigate. Ad
quos, cum alios summos duces, tum me quoque
fidelem siue ducem, siue comitem habebitis.

Iam quid Vobis, attinet, vtilitatem hu-
maniorum literarum demonstrare, legum iu-
risque studiosi Commititones: cum sciatis,
omnis Vestri Iuris intelligentiam a latinis lite-
ris, ab historia, et antiquitate Romana duci, et,
sine earum scientia, neminem Iuris Ciuilis libros
legere posse: cum sciatis, Iuri vestro barbarie
fordes ab his esse deterfas, qui harum literarum

XXX

magna scientia pectus inundatum habebant, et eorum, qui prudentiam iuris, cum literarum elegantia coniungant, maxima inter IureConsultos esse nomina. Cauete, ne triste illud, et miserum Iurisscientiae tempus redeat, quo, ut Ammianus prodidit, si quis antiquus IureConsultus nominabatur; si quod antiquum Iuris verbum audiebatur, piscis aut edulii peregrinum vocabulum commemorari, boni IureConsulti putabant.

Neque Vos, artis salutaris studiosi Commilitones, hic vocis meae auctoritatem desiderare potestis, quando exemplis eorum, qui Vos hic docent, omni demonstratione verborum potentioribus, intelligitis, quantum praesidii ornamentique, ad artem Vestram, in latinis, in primisque graecis literis, positum putare debeatis. Omnino nullus est eruditorum ordo, in quo tam multi, inde ab instauratis bonis literis, excellentes in hoc literarum genere homines extiterint, quam in Vestro scimus fuisse. Quod profecto, non debetis, temere castue factum, existimare, sed, quod illi, aut ita ab idoneis auctoribus accepterant, aut re ipsa cognoverant, ad excellentem artis sua scientiam, sine magno harum literarum apparatu, perueniri non posse. Et, cum illis pulchrum et gloriosum fuerit, hoc decus ordinis Vestro parasse: quam vobis turpe putatis fore, si hoc

XXXI


Si hoc dicatur, hoc ad posteros propagetur, huius gloriae tam veterem possessionem ab Ordine Vestro per Vos conseruari non potuisse?

Quare, quoniam tantum, Carissima pectora, ab his humanitatis studiis, et utilitatis exspectare potestis, et ornamenti sperare: dedit Vos, quae-
so, huic doctrinae: amabiliorem indies cognoscetis, eiusque studium Vobis et utile, et iucundum, et gloriosum reperietis. Ecce, ipsa haec Academia, haec communis mater nostra, per me Vos hortatur, ne, his literis negligendis, committatis, ut, Vestrā culpa, magnam antiquae gloriae partem amittat. Ego, inquit, prima, in his terris, transeuntes in Germaniam ex Italia literas humaniores excepī, alii, omnibusque modis, ad hoc usque tempus, foui. Hic Buschii, hic Helti, hic Croci, hic Borneri, hic Mosellani, hic Camerarii, hic Bersmanni, hic Godof. Olearii, hic Boernerii doctissimae suauissimaeque vo-
ces personuerunt. Haec lumina mea fuere, haec ornamenta. Horum ego partim imagines hic consecraui: omnium nomina aeternitate dona-
ui. In hos, o! filii, intuemini: horum vestigiis insistite: ad horum exempla Vos conformate. Defendite, quae-
so, hanc a me ignominiam, ut in hac mea sede, aut impune, et cum fauore, au-
diantur bonas literas contemnentium et irri-
dientium voces, aut inopia eorum sit, qui eas vel docere

XXXII

docere possint, vel discere velint. His sanctissimis
amantissimisque Matris vocibus non studio Ve-
stro respondebitis, Commititones? nec precibus
eius mouebimini? Mouemini vero, video, mo-
uemini, et vos commotos esse, rebus ostendetis.

SVMME DEVS, TVAE ego potestatis
in his terris Vicario iuslīs, nouas hic literarum
scholas aperio. TE supplex veneror atque oro,
ut omnibus meis institutis, dictis, factis, numen
TVVM annuas, meaeque disciplinae successus
prosperos, celerrimos, duis. Serua, Pater, Regem,
FRIDERICVM AVGVSTVM,
PATRIAE PATREM OPTIMVM, cum uni-
uersa REGIA DOMO, eique prosperam vale-
tudinem, vitam longissimam, felicitatem, victo-
riam concede. Serua uniuersam SAXONI-
CAM DOMVM: opes, potentiam, aeternita-
tem praesta. Tuere in omne tempus, hanc TVI
Spiritus, Sapientiae, Bonae Mentis officinam, et
ei incolumitatem, otium, incrementa largire.
Amplectere etiam huius Academiae Magistra-
tum et uniuersum Professorum Collegium, eis-
que tranquillitatem, concordiam, salutem tribue.
Suscipe denique hanc succrescentem Patriae
spem, eamque indies laetius adolescere iube.
Has TV, PATER, preces ita ratas habeto, uti
omnis sapientiae auctor es, utique TVVS TE
nobis filius morte sua placauit.



72 919.

ÖN A 6610



V ① 18

5b.

V ① 17
V ② 18



36

IO. AVG. ERNESTI
ORATIO
LIPSIAE
A. D. IX APRIL. A. CICCIICCC XXXXII
PROFESSIONIS
HVMANIORVM LITERARVM
EXTRAORDINARIAE

ADEVNDAE CAVSSA

RECITATA



LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

